DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

CHLOROSI.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

JURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE XXVIII M. MAII A. MDCCCXLV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALEXANDER THEODORUS BEYER

RUECKERSDORFENSIS.

JENÆ

TYPIS BRANII.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO

EXPERIENTISSIMO

GUIL. CAR. FR. SUCCOW

MEDICINAE CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

ORDINIS MAGNIDUCAL. VIMAR. FALCONIS ALBI ET DUCUM SAXONIAE ERNESTINAE PROSAPIAE EQUITI

SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AULICIS INTIMIS MEDICINAE PROF. P. O. FACULTATIS MEDICAE SENIORI NOSOCOMII INSTITUTI CLINICI ET OBSTETRICII A MAGNO DUCE CONDITI DIRECTORI SOCIETATIS MINERALOGICAE JENENSIS ADSESSORI SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS SOCIO LITTERARUM CONSORTIO ADSCRIPTO

PRAECEPTORI SUMMA PIETATE COLENDO

FAUTORI

OPTIME DE SE MERITO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

EXIGUUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

SUMMAEQUE OBSERVANTIAE PIGNUS

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Saepissime queruntur, qui summos in medicina honores ambiunt, se aegre tantum rem inaugurali dissertationi idoneam invenisse. Ego quoque multum animo perpendissem, de quanam re dissererem, si quidquam indictum ore alio proferre voluissem. Ne igitur caderem in similes quasdam perpensationes ac reputationes, elegi thema idem valde notum: „de chlorosi“. Alterum argumentum afferre possum, cur scribere de chlorosi mihi proposuerim, nimirum quod multas chlorosi affectas viderim atque nonnullas sanare studuerim. Denique agere ausus sum de hoc morbo, ut dicta saepiusque repetita meo qualicunque modo exponerem atque componerem.

Jam vero ab iis, qui hancce scriptiunculam lectu dignam censent, peto, ut indulgentia et clementia hoc primum tironis conamen dijudicent, neque me, qui non potest non scribere, confundant cum eo, qui literis aliquid mandare ardet.

§. 1.

De chlorosi in universum.

Chlorosis jam antiquissimis temporibus observata est; nam *Hippocrates*[1]), *Galenus*[2]), *Aëtius*[3]), *Paulus de Aegina*[4]), *Avicenna* aliique[5]) eius mentionem faciunt. Naturam autem hujus morbi medicis usque ad saeculi nostri initium non satis cognitam fuisse, varia cognomina, quae chlorosi imposuere, demonstrant. Talia sunt: χλώρισμα (Hipp.); *illisis* (Avicenna); *febris alba et virginum obstructiones* (Mercatus); *foedi colores* (Baillou); *morbus virgineus* (Sennert); *chlorosis* (Bauhin et Varendé); *icterus albus* (Ett-

1) Liber de morbis virginum.

2) De causis symptom. lib. I. c. 7.

3) Tetrab. III. serm. I. c. 23 et tetrab. IV. serm. IV. c. 10.

4) De remed. lib. I.

5) Canon medic. lib. III. tract. III.

müller); *pallidi colores* (Sydenham); *febris amatoria* (Langius); *pallor virginum*, *cachexia virginea*.

Nostris denique temporibus vocabulo „*chlorosis*“ utuntur scriptores, quod derivatur a graeco: χλωρός, i. e. languide viridis, subviridis, subflavus, proprie a colore segetis novae vel germinum vernorum primorum.

De natura chlorosis perpetuo fere medicorum sententiae differebant et adhuc differunt. Nonnulli statuunt, chlorosin oriri ex adynamia quadam tractus intestinalis (*Galenus*, *Gardien*). Alii astheniam partium genitalium inculpant statumque pathologicum ex mensibus suppressis profectum (*Cullen*, *Tissot* etc.). Alii chlorosin astheniam vasorum et haematosin vitiosam esse existimant (*Boisseau*, *Andral*, *Bonnet*). Alii de hyperhydraemia loquuntur ex asthenia nervi sympathici profecta (*Dupuy*, *Copland*). Alii denique, quorum princeps est *Lisfranc*, in symptomatibus chloroticis nihil vident, nisi reactionem in organismum impletione systematis uterini nimia provocatam.

§. 2.

Notio chlorosis.

Quare, quum variae sint de hujus morbi natura ac indole sententiae, perspicuum est, etiam varias esse chlorosis notiones. Nonnulli scriptores nul-

lam ediderunt; complures notionis loco symptomata tantum singularia enumerarunt. Quamvis difficile sit, rem, quam compertam habemus, ne dicam morbum nondum satis perspectum rite definire, tamen secundum praesentes de chlorosi observationes notionem hujus morbi constituere periclitemur: *Chlorosis morbus est plerumque apud sexum muliebrem pubertatis tempore repertus, qui eo valet, ut ante omnia cruor, praeterea fibrina sanguinis imminuta sint, partes vero aquosae auctae.* Permulti quidem scriptores chlorosin appellant dyscrasiam, sed quum nostra de dyscrasiarum natura valde imperfecta sit cognitio, praeterea sub vocabulo isto saepissime abscondita atque obvelata sit ignorantia, consultius est, vocabulum „dyscrasia" omittenre.

§. 3.

Symptomata.

Symptomata chlorosis raro certo quodam ordine oriuntur. Plerumque primo animi tristitia et aegritudo, quin ipsa melancholia quaedam aegrotas invadit, desiderio quodam affectae videntur, saepe plorant, suspirant idque sine causa manifesta. Breve post color antea vegetus evanescit, sensim sensimque cutis ex viridi flavo et cereo quasi colore tingitur, praesertim in narium alis atque angulis oris. Facies saepe tumescit. Labia, lingua,

gingiva et tunica mucosa buccarum nanciscuntur colorem pallidum. Oculi languent et marginibus lividis circumdantur, sclerotica haud raro colore plumbeo obducitur: palpebrae subinde bursis similes demissae maximopere tempore matutino, sub vesperam crura haud raro oedematosa. Cutis sicca, frigidior praecipue in artibus inferioribus. Pulsus modo frequens, parvus, mollis, facilius compressu, ergo debilis; modo plenus, durus, tensus. Plenus autem pulsus est, quoniam quantitas sanguinis saepissime est aucta.

§. 4.

Peculiaria symptomata sunt ex auscultatione hausta. In carotidibus, saepius in dextra, quam sinistra audiuntur strepitus abnormes, qui susurrui modo a folle, modo a turbone effecto similes, modo sentiuntur quasi duo inessent arteriae sanguinis fluxus. Similia in arteriis subclaviis atque femoralibus, sed rarius audiuntur. Maxime conspicuus est strepitus ille, quem *Bouillaud* [1]) „bruit de diable“ appellat. Hic magis perspicuus fit aegrotarum motibus et vibratione continente atque susurru cernitur, qui secundum *Beau* [2]) ab ictu sanguinis contra arteriae parietem atque proportione mutua inter san-

1) *Récherches* sur les divers bruits du coeur et des artères, Journ. hebd., T. IX. p. 560, 1833.

2) Archives générales de médicine, Fevr. 1838.

guinem et vasa proficiscitur. Quae phaenomena non sunt continua, sed temporaria atque interdum fortasse a spasticis vasorum et cordis contractionibus derivanda. Majoris autem momenti sanguinis indoles videtur, quum mensibus fluentibus, quibus cruor deducitur, strepitus ille in universum magis fit perspicuus. Vix dubitandum, hunc sonitum pro varia ciborum qualitate nonnunquam mutari. In quibusdam vero chloroticis nimia vasorum extensio causa esse potest, nam in universum partes serosae sanguinis nimis sunt auctae, unde oritur plethora vera serosa. Si chlorosis prorsus est exculta, arteriae volumen habere dicuntur proportionale vehementiae chlorosis atque strepitus, imminutum vero eodem modo, quo morbus et arteriarum stertor imminuuntur. Cordis ictus semper fere fortiores sunt et sonum habent purum atque extensum, neutiquam vero comparandum cum eo, quem in arteriis audimus.

Quod attinet ad sanguinem aegrarum missum, pallidior est, partes serosae praedominantes, crassamentum imminutum, facilius discissu, fibrina albidior, albumini similis, mollior, pigmentum rubrum facillime abluitur [1]).

---

1) Ut comparetur sanguis feminae sanae cum sanguine chloroticae, adjungantur hic analyses quaedam:

§. 5.

Quibus symptomatis et alia accedunt, quorum praecipua haec sunt.

Respiratio plerumque est brevis, saepe suspirans, atque aegrotae profunde spirare coactae, si scalas ascendunt, aut animo commoventur. Musculi sunt molles et languidi, unde oritur horror laborum. Appetitus modo auctus, modo imminutus, modo perversus, e. gr. carbonis, cretae, telarum aranearum, vermium, aceti vini, fructuum immaturorum; sapor mucilaginosus, acidus; saepe pyrosis, cardialgia, helminthiasis, tympanitis adsunt, nec alvus secundum normam solvitur, nam modo obstructionibus, modo diarrhoea laborant aegrotae, et a nonnullis observatae sunt faeces albidae.

Analysis *Foedischii.*

Sanguis feminae sanae.

Cruor	Serum	Fibrina	Aqua	Ferrum	Summa
124,00	86,01	25,11	756,87	8,01	1000
idem					
144,00	89,20	25,01	732,72	9,05	1000
Sanguis chloroticae.					
91,41	93,61	6,40	806,28	3,30	1000
idem					
85,90	92,21	6,31	810,75	5,01	1000

Lecanu invenit in sanguine chloroticae:

Aqua.	Globul. sang.	Albumen, Fixa, Pinguia, Extr.
862,40	55,15	82,45

Differunt aliquantulum symptomata in individuis phlegmaticis atque sensibilibus. Illae sunt segnes, pallor perseverat, postremo virescit, semper frigent, leucophlegmatiae et blennorrhoeis opportunae sunt. Hae autem plerumque sunt graciles, interdum, pro tempore certe, floridae; calor et frigus saepe alternant; cephalalgia et vertigo, palpitationes cordis potissimum praevalent; spasmi et hysterismus crebriores comites.

Urina parca atque pallida, menstruatio aut deficit leucorrhoeae cedens, aut parca est, nonnunquam dolorosa, raro nimia. Sanguis menstrualis aquosus, decolor, citius in duas abit partes, in crassamentum nempe et serum. Appetitus coeundi raro est auctus, plerumque imminutus. In universum quavis menstruatione redeunte symptomata fiunt vehementiora atque cum doloribus in utero et regione lumbali conjunguntur. Somnus plerumque interruptus, tempore matutino suavior.

Haud raro chlorosin animadverti dicunt, a *Graefio* „chlorosis *arterioso-sanguinea*“ appellatam, quum causa proxima in praevalente arteriositate atque circulatione sanguinis inaequali posita sit. Congestiones arteriosae versus pectus praeter consueta chlorosis symptomata peculiares dicuntur. Cui autem sententiae repugnant et causae chloroseos, et sanguinis indoles, quum venositas in chlo-

roticis plerumque praevalet arteriositatem, tum haec analysi chemica nullibi, quantum scio, demonstrata est, symptomata vero saepenumero et venosam sanguinis indolem, et seri abundantiam testantur, causae denique chlorosis, quas postea explicabimus, debilitantibus, ergo arteriositatem imminuentibus sunt adnumerandae.

§. 6.

Necroscopia.

Per cadaverum dissectiones vix certiores facti sumus de natura chlorosis, quum hic morbus raro lethalis fiat. Sectiones praebuerunt musculos laxos, hydropem cellulosum et cavitatum, hepar solito majus, mollius, lienem ambitu minorem, duriorem, genitalia interna non exculta, ovaria nonnunquam hypertrophica, suppurata, hydatidibus obsessa, cor callapsum, aut dilatatum, vasa languida, hic illic extensa. Lumen enim vasorum non amplius respondet sanguinis quantitati, atque sine labore majus redditur, quia parietes vasorum tono atque resistentia carent, et tonus eorum minor est, quod nutriuntur sanguine minus plastico. In quibusdam chloroticis subito defunctis *Mende*[1]) invenit foramen ovale septi atriorum non modo apertum, vero

---

1) *Geschlechtskrankheiten des Weibes*, 2. *Auflage* 1831.

etiam amplificatum, quamquam nihil inconsueti ante mortem in sanguinis circulatione animadvertebatur. Venae internarum partium majores interdum mirum in modum extensae fuerunt atque sanguine subnigro impletae.

§. 7.

Diagnosis.

Interdum accidit, ut confundatur chlorosis cum quibusdam aliis morbis, potissimum iis, qui cachecticis adnumerandi sunt, ad quos pertinent anaemia, cyanosis, icterus levior et pallido magis, quam flavo colore conspicuus; deinde morbi lienis; tum etiam commutari posset chlorosis cum quibusdam cordis vitiis, propter cordis palpitationem, atque cum oedemate aut alio hydrope.

Distinguitur autem ab anaemia inprimis causa atque decursu. Chlorosis plerumque pubertatis tempore atque in sexu sequiore apparet, anaemia quovis sexu atque aetate et in universum subito oritur post apertam quandam causam, e. g. haemorrhagiam; in chlorosi color potius ex flavo virescit, in anaemia pallidus, qualis defunctis est, color praevalet.

Non periculum est commutare chlorosin cum morbo caeruleo, si colorem in hoc magis caeruleum distinguimus, qui ante omnia in labiis, palpebris, naso, genitalibus, pedum manuumque dorso

et ultima digitorum phalange tumefacta observatur, accelerato pulsu respirationeque impedita intensior fit, si denique videmus paroxysmos cyanosis magis perspicuos potissimum animi affectu, aut corporis motibus provocatos. Praeterea semper fere cum infantia initium capit atque ex aetate foetali originem trahit, aut serius perspecta symptoma vitiorum cordis est, raroque ex mensibus suppressis derivanda.

Ab ictero discernimus chlorosin tum colore cutis in illo flaviore atque urina crocea interdum ex flavo-viridi eoque bile abundante, tum faecibus albidis, argillaceis et respiratione libera.

In iis, qui corde laborant, angor multo major est, in quibusdam praesertim positionibus, vultus sollicitudinem prae se fert, respiratio brevior, pulsus semper fere perfrequens et celer, cordis ictus ampliores atque fortiores; praeterea in morbis cordis organicis saepissime praedispositionem hereditariam reperimus; eorum symptomata jam ante pubertatem aderant atque quamquam remittunt, tamen nunquam intermittunt, et pallor non totam faciem occupat, e contrario tales aegroti interdum speciem bonae valetudinis praebent.

Liene laborantium color magis fuscus, aut e viridi fuscus, immo subniger est. Accedunt symptomata localia atque vires non valde debilitatae.

Ab oedemate, quod chloroticis est, aliud hydropis genus ab alia causa exortum eo distinguitur, quod illud sub vesperum tantum apparet, noctu evanescit, tempore matutino facies atque palpebrae maxime tument, neque impressiones digitorum manent.

§. 8.

Aetiologia.

Permulti causam chlorosis proximam quaerunt in nutritione totius corporis et oxygenisatione sanguinis imminuta; sed multae chloroticae sunt obesae atque inflammationibus obnoxiae. Alii statum asthenicum partium genitalium imputant, cui sententiae repugnat, quod chloroticae saepe sint multiparae, unde sequitur, genitalia earum asthenia non laborare. Quibusdam aliis visum est, proximam chlorosis causam in anaemia positam esse, cui opinioni ego assentire non possum, quum anaemia sanguinis inopia, chlorosis autem vitiata ejus qualitate cernatur. Alii nimiam ingenii animique cultum et vitam nervorum vita vasorum potiorem causam chlorosis accusant. At notum est, saepissime chlorosin etiam in puellis incultis atque rudibus inveniri.

Ex mea sententia causa proxima chloroseos nonnisi *in assimilatione et sanguificatione imperfecta indeque profecta functionis genitalium turbatione* continetur. Nam in universum puellae imbecilliores, scrofulosae, rhachiticae eaeque,

quae victu debilitante rutuntur et potui calido paesertim simulque labefactanti nimium assuetae sunt, quae aëre puro carent, quemadmodum puellae acu victum quaerentes, chlorosi obnoxiae esse solent.

In nullo fere morbo tam difficile est, causas ab effectu distinguere, quam in eo, de quo nos agimus. Quare multi in menstruatione anomala, praecipue in parca, vel in amenorrhoea ipsa causam proximam videre volunt atque in hac sententia curationis fundamentum ponunt. Ejusmodi sunt, qui sanguinem per menstrua effluentem maxime inquinatum existimant, summopere gavisi, huic secreto nostro sermone cognomen dari: „*monatliche Reinigung*;" nam dicunt, illam materiam in sanguine remanentem hunc perdere atque chlorosin gignere; naturam hanc materiam ejiciendam curare in chlorosi fluore albo, sed sine prospero eventu.

§. 9.

Dispositio et causae occasionales.

Ad chlorosin praecipue quidem, sed non unice *dispositus* est sexus muliebris. Plurimi quidem scriptores chlorosin virorum negant, haud dubie vero sine causa sufficiente, quum ex iis, quae de causa chlorosis proxima supra commemorata sunt, concludere non possimus, eam in sola mulierum

constitutione positam cum organismo virorum non esse conjungendam. Perinde esset, ac si hypochondriam viris tantum, scarlatinam et morbillos pueris atque puellis solummodo vindicaremus eam ab causam, quod illa in aetate virili, hi morbi saepius reprehendantur in aetate puerili. Chlorosin in sexu sequiore saepius, quam in potiori observari et ineunte quidem pubertate, non mirandum, si reputamus, in partibus genitalibus puellarum excolendis multo majores vires impendi debere, quam in adolescentulis, et in universum multo majorem metamorphosin fieri illarum, quam puerorum. Oritur enim, dum uterus pubertatis tempore magis excolitur, quam antea, recens quasi tractus intestinalis, cui sanguis uberrime affluit, quem non modo secundum typum quendam secernere, verum etiam excernere oportet. Uterus propterea, quod conjunctus est propinquitate systemati chylopoietico, hoc turbat, quando functiones ipsius turbantur. Accedit venositus mulierum major, quae tanta vi plastica praedita non est, quanta adolescentium arteriositas. Neque organa respiratoria immunia manent, ob mammarum propinquitatem, quibus excolendis nova turbationum nutritionis ansa praebetur. Si vero organa, in quibus assimilatio fit, laborant, si chylus vitiosus paratur, si pulmones non tantum aëris sanguini admiscere

possunt, quia in foeminis minores sunt et vestimentis saepe comprimuntur, si in universum puellae magis cubiculis inclusae vitam degunt, chlorosis virginum frequentior non miranda. — Causis praedisponentibus porro adnumeranda sunt pubertas inchoata, evolutio praematura, constitutio imbecilla, sensibilis, lymphatica, habitus graecilis, scrofulosis, tuberculosis, regiones humidae simulque frigidae, tempus vernale et autumnale.

Causae occasionales sunt libidines, quae non explentur, aut nimis, aut praeter naturam foventur, frictio genitalium, haemorrhagiae, viduitas praematura, moeror, nostalgia, victus concoctu difficilis et debilitans, potus labefactans, aceti usus nimius, menses suppressi, diarrhoeae chronicae, blennorrhoeae, digestionis turbationes perseverantes; praeterea etiam alia morborum genera, e. c. rhachitis, scrofulosis, lienis, hepatis, ovariorum aliorumque viscerum vitia. Sed hae causae et ad eas pertinent, quibus praedispositio tantum efficitur.

§. 10.
Decursus.

Temporis spatium, quo terminatur chlorosis, saepe paucas tantum hebdomades comprehendit, saepe autem compluribus annis absolvitur.

Transit autem chlorosis, aut in sanitatem, aut in alios morbos, aut in mortem. In sanitatem transit morbus pedetentim, si scite tractatur, saepissime

etiam suapte natura, causis vim exserere desinentibus. Quem exitum faustum quoque sperare possumus, si constitutio bona est neque alii morbi juxta chlorosin castra posuerunt. Si vero malum jam magna incrementa cepit neque cohibetur apto consilio, symptomata in dies ingravescunt; oritur cephalalgia, quae potissimum regionem occipitalem occupat atque polydipsia, dyspnoea et palpitationes cordis augentur, diarrhoea et febris hectica accedunt, hydrops et phthisis pulmonalis, aut spasmi vehementes nascuntur, ut epilepsia, chorea St. Viti, aut hysteria et morbi psychici. Hoc altero chlorosis exitu multo rarior est transitus in mortem. Ubi vero morbus morte finiebatur, haud raro profecto aut diagnosis erat falsa, aut alii morbi, qui accedebant ad chlorosin, mortem arcessebant.

§. 11.

Prognosis

varia est pro aetate et constitutione aegrotae atque gradu, diuturnitate et complicatione morbi. Chlorosis simplex et recens, quae pubertatis tempore oritur, in universum minus periculosa est et saepe ultro evanescit. Quum vero magna imbecillitas atque causae organicae adsunt et morbus jam diu viguit, prognosis dubia. Symptomata infausta sunt oedema pedum, fluor albus profusus, apnoea, spasmi. Futilis sententia eorum est, qui putant, chloroticas raro foecundas esse, aut liberos imbecillos parere; quod tantum valet de iis, quas morbus magna vi occupavit.

§. 12.

Therapia.

Ad sanandam chlorosin duabus indicationibus satisfacere medicum oportet: altera *causalis* est, per alteram morbum ipsum delere studemus, idque duplici modo, dum morbum funditus profligare, aut singula tantum symptomata ejus mitigare propositum est. Illud curationem *radicalem*, hoc *symptomaticam* comprehendit.

I. Indicatio causalis. Cui ut respondeamus, ante omnia apta diaeta et vitae ratione chloroticis conveniente opus est.

Evitanda enim sunt omnia, quae morbum aut augere, aut prolatare ejusque sanationem impedire possint. His adnumeranda sunt in universum quaecunque corpus debilitare et justam sanguificationem, potissimum cruoris generationem aut directe, aut indirecte prohibere valent, ut: aër humidus atque corruptus, perfrictio, vitae ratio otiosa et delicatior qualemcunque corporis motum fugiens, vestimenta nimis arcta et adstricta artuumque motus impedientia, victus difficilis concoctu, viscidus, tenuis et parum nutriens, quemadmodum e vegetabilium regno saepe esse solet, potus calidi, imprimis theae abusus, libidines, lascivae phantasiae imagines, genitalium titillationes etc.

Quare chloroticis commendandum est, ut quamplurimum in aëre libero eoque puro, sicco et modice calido versentur, etiam itinera in regiones

calidas et siccas suscipiant, et rure commorentur, ut corporis vires movendo exerceant ac roborent laneisque vestimentis cuti proxime imponendis frictionibusque instituendis eam excitent et perfrictionem evitent, ut alimentis facile digerendis et sat nutrientibus, carne potissimum, etiam potu roborante et vires excitante, qualis cerevisia subamara est, et modice vino rubro generoso fruantur, ut somno nimium protracto non indulgeant, et coeundi cupidine, cui non satisfaciendum, omnique eam excitante librorum lectione abstineant. Hinc jam *Hippocrates* quibus tale quid accidit suadet, ut citissime cum viris conjungantur, si enim conceperint, sanatas evadere eas existimat. (Lib. de morbis virginum). Quod non de omnibus chloroticis valere, atque hoc Hippocratis remedium in iis tantum exemplis in usum vocandum esse, in quibus incitamentum locale opus, aut illecebrarum conjugalium inopia causa morbi est, per se patet.

Praeterea status morbosi organorum et systematum, qui causae chlorosis remotae esse aut eam augere possent, tollendi sunt.

§. 13.

II. Indicatio morbi, ut jam §. 12. monuimus, duplex est, tum radicalis, tum symptomatica.

a. Primum itaque de *radicali curatione*, quae praecipua est, loquamur. Ea vero nulla est, nisi

quae causae chlorosis proximae (§. 8.) respondet eamque tollere studet.

Itaque efficiendum est, ut cruoris et fibrinae copia in sanguine augeatur, quod fieri non potest, nisi assimilatione emendanda et virium sustentatione.

Quod ut assequamur, saepenumero sola curatione causali opus est in chlorosis levioribus quidem gradibus. Sin vero morbus tam gravis est, ut universum corpus majora inde detrimenta jam ceperit, remedia in usum vocanda sunt, quibus praecipua vis inest, sanguificationem et potissimum cruorem augendi.

Quum vero haec remedia, jacente digestione, saepissime plus obsint, quam prosint, digestio ante omnia in integrum restituatur necesse est, quod efficiendum remediis amaris, nonnunquam etiam resolventibus, e. gr. extr. cardui benedicti, tarax., marrub. alb., felle taur. etc. quorum hoc praecipue commendandum, quod ab organis digestionis etiamsi irritabilibus atque sensibilibus optime sustinetur. Deinde transeundum ad amara aromatica, e. c. ad calamum aromat., cascarill., cort. aurant., Lupulinum et similia.

Ad ea autem medicamenta, quae cruoris copiam quasi immediate augent, *ferrum* pertinet. Quod in sanguine, et in haematino quidem, contineri constat; utrum vero ut metallum inveniatur (*Berzelius* et *Mulder*), an oxydum (*Lecanu*, *De-*

nis, H. Rose) nondum ratum [1]). Quare medicamenta ferrum continentia quasi amica sunt organismo, quia jam in eo praeexistit, atque experientia edocti scimus, usu ferri cruorem mirum in modum augeri.

Sic secundum *Andral* et *Gabarret* sanguis post usum ferri 0,049 plus corpusculorum sanguineorum comprehendit. Inchoari necesse est ferri praeparatis mitioribus, quoniam facillime congestiones atque indigestiones oriuntur. Primo itaque dentur: Tinct. ferri pomati, ferri muriatici, ferri acetici aetherea et similia. Si effectus nullus apparet, transeundum est ad *flor. sal. ammon. martiales,* ad limat. mart. etc. Maxime commendatum est ferr. carbon. a *Neumanno*, qui praescripsit formulam, qua quaevis chlorosis, cui nondum subesset febris hectica et hydrops, sanetur:

℞. Ferr. carbon.
Fol. Tax. bacc. aa ℥j
Secal. cornut. ʒjj
Fol. Digit. purp. ʒß
Syr. amygdal. q. s. ut. f. Pil. 250

1) Vocabulum „haematinum" prioribus temporibus idem significabat, quod cruor, sed nunc materiae solum sanguinem coloranti tribuitur. Nunquam fere reperitur haematinum, nisi coagulatum, atque tunc format massam fere subnigram sine odore ac sapore, quae non solvitur aqua et spiritu vini, neque oleis pinguibus atque volatilibus. Solvunt id autem Kali, Natron, Ammonicacum, quae conjunctiones solubiles sunt in aqua, spir. vini atque aethere acetico. Haematinum hominis, secundum complura experimenta, post combustionem reliquit ferri oxydati 10. p. C.

S. Quotidie bis octo pilulae c. infus Hb. Sabin. sumendae.

Novissimis temporibus ferr. lact. oxydulat. in usum vocatum est, quod propter acidum lacticum succo gastrico admistum optime fertur, atque secundum *Fouquier* omnia reliqua ferri praeparata supervacanea reddit. Praeterea adhibendum esset ferr. hydrocyan., ubi praeter statum chloroticum innervatio nimis irritata est. Optimum remedium chlorosis *tanninum* a *Bezzonio* est commendatum, quod conjungatur cum opio, aut ferro atque in pilularum forma quotidie drachma consumatur.

Prae ceteris magna vis inest fontibus, qui ferrum carbonicum cum salibus et acido carbonico libero continent. Inter eos, qui chlorosi medicati sunt, excellunt Spaa, Pyrmont, Driburgum, Schwalbach, Plombières, Vichy, Passy, Forges. Laudata quoque est aqua, cui immergebatur ferrum, et *Quenesville* aquam ferrum carbonicum continentem praeparare monstravit pulvere ex aequalibus partibus ferri sulphurici crystallisati et natri carbonici aciduli composito.

b. Nunc ad alteram indicationis morbi partem transeamus, quae est *symptomatica* atque interdum medicamenta poscit symptomatibus nervosis, spasmis et doloribus hystericis, animi deliquio, irritationibus vasorum ac nervorum repentinis obvia.

Symptomata nervosa crebriora sunt dolores

capitis plerumque tempore matutino redeuntes atque haud raro obstupefacientes, qui cibis sumptis evanescunt atque nasci dicuntur, quod cerebrum et nervi careant sanguinis fortioris irritamento. Contra hoc malum habitus capitis erectus atque cibus roborans, praeterea infusum herbae valerianae cum liquore anodyno Hoffmanni instituatur. Similiter ac cerebrum interdum laborat plexus solaris, unde oriuntur nausea, dolores abdominis, quae remediis amaris aromaticis atque spiritu sulphurico aethereo martiato minuenda. Attamen cavendum est, ne confundantur symptomata illa cum iis, quae sordibus efficiuntur. *Emetica* primo a *Mercato*, Philippi II. Hispaniae regis, medico, praescripta, in complicationibus gastricis adhibenda. Alvus tarda saepissime chlorosin comitatur, quia tractui intestinali plerumque vires desunt. Motus frequens haud raro has obstructiones tollit. Praeterea clysmata adhibenda sunt, neque tamen calidiora, quia facillime genitalia irritant. Si palpitationes cordis nimiae fiunt, neque anaemia chlorosi subest, venaesectio parva utilis. Idem valet secundum *Lisfranc*, ubi chlorosis ex impletione uteri orta est, cui adsunt haemorrhagiae, aut fluor albus. Amenorrhoea nullo medicamento tollenda, quia secundum chlorosis naturam remedium est hujus morbi.

THESES.

I.

Plures medicorum, aut chirurgorum classes constituere, utile et opportunum.

II.

Nonnunquam medico mentiri licet.

III.

Hydrophobia rabiei caninae non symptoma.

IV.

Cura, ut quemque morbum sanes.

V.

Icterus neonatorum morbus est.

VI.

Laudănum pronuntiandum est, non Laudānum.